

432

430

436

426

441

421

481

381

531

331

Ende

Anfang

421

campanae, et olim, tempore, quo in Campania usus campanarum coepit esse, artifices Venetorum arte primo inventa campanas fuderunt easque ad universas regiones Christianorum venales circumduxerunt, unde Ursus, XV. Venetorum dux, qui fuit anno 865., campanas duodecim fundi jussit magni ponderis et boni soni easque Basilio Graecorum imperatori misit Constantinopolim pro munere. Nec ante hoc tempus fuerunt campanae visae in Graecia, ita quod a Venetiis primo venerunt Constantinopolim campanae. Verum videtur, quod usus campanarum fuerit ante Christi incarnationem, cum Virgilium poetam legimus fecisse campanile tale de lapidibus, quod motis campanis etiam ipsum agitabatur campanile aut turris. Et in regula beati Hieronymi mentio fit de tintinnabulis.

Turris ista S. Marci magna est, quadrangularis et alta, ejus ascensus est ita factus, quod equus cum insidente potest ascendere usque ad campanas; unde anno praeterito, quum Fridericus III. fuit Venetiis, duxerunt illum Veneti in mulo sedentem usque ad campanas. De campanis est scala una ad altiora dicens ad locum speculatorum, de quo est longus et latus conspectus per mare et terram, unde speculatores per multa millaria naves vident venientes, sed et speculatores navium ipsam turrim a remotis vident, praecipue dum sol ejus tectum, quod deauratum est, illustrat, videturque turris illa ab a longe existentibus in alto maris esse in profundo locata, propter elevationem maris supra terram.

In platea S. Marci, inter turrim et ecclesiam vel palatium contra mare stant duae columnae insignes marmoreae, politae, utraque unius lapidis: in una columna supra capitellum stat leo magnus, S. Marci imago. In alia stat vir armatus, quem dicunt esse imaginem S. Theodori, primi civitatis patroni. Alii dicunt, esse S. Georgii imaginem. De his columnis dicit M. Antonius Sabellicus, quod ex Graecia fuerint adductae cum una altera, quae navi rupta in profundum maris mersa est. Ista vero duae multis annis in S. Marci platea jacuerunt, nec erat, qui modum erigendi eas excogitare posset. Tandem venit quidam Teutonicus, qui hoc opus se facturum esse promisit, si domini Venetiani ejus petitioni assensum praebere opere perfecto promitterent, praesertim cum rem eis possibilem petere decrevisset. Conventione autem facta

